



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

348. An, ubi scrutinium sit per schedas, & sic fieri est de forma electionis, etiam sit de forma electionis eas comburere ante vel post publicationem scrutinii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

elegerit, agat contra fidelitatem & iustitiam officii sui, peccetque graviter aut leviter prout hoc cederet in grave vel leve damnium, & praedictum Electionis, vel Electoris revelati. Pass. num. 29. contra Bonac. de contract. q. 2. n. 3. & Labor. de Elect. c. 19. m. 57. tenentes absolute, talem scrutatorem peccare mortaliter: non tamen per hoc vitatur aut irritatur electio, etiam apud Regulares, etsi de cetero Tridentinum specialiter in electionibus Regularium, etiam cum decreto irritante electionem veruerit unquam publicari nomina eligentium, seu cui quis eorum dederit suffragium, Pass. cit. n. 29 & seq. contra Labor loc. cit. siquidem decretum illud concilii in sensu proprio accipiendum, & ultra hunc poena illa nullitatis electionis, aut onus illud gravissimum de novo eligendi Electoribus impositum extendendum non est: Jam vero manifestatio aliqua privata actus alicujus, aut personae, non est illius publicatio; cum publicare proprie significet idem, quod *evulgare*, vel in notorium deducere, seu facere, ut aliquid transeat in famam publicam loci, quod aliter non fit, quam dum res facta vel verbo propalatur in loco publico, & coram tanta multitudinem, ut illius notitia per se transeat ad majorem partem, v. g. collegii vel conventus, viciniae, civitatis, alteriusve loci, Pass. loc. cit. ex C. Tuscho L. P. conclus. 964. intelligitur namque publicitas facti, seu consistens in facto, quae intelligitur, quoties jus requirit publicitatem actus alicujus in ordine ad hunc effectum, ut praesumatur istius actus notitia apud alios, & valde distinguitur a publicitate juris, seu quae a jure causatur; licet enim, dum iudex in banco coram duobus vel tribus testibus excommunicavit aliquem, non est talis excommunicatus adhuc publice, quia per hoc ejus excommunicatio in facto non est publice nota apud homines, licet sit nota ex jure apud iudicem. Pass. n. 30. juxta gl. sing. in elem. 1. de sepult. v. publice.

1. Respondeo secundò: secus dicendum, ubi scrutatorum aliquis Eligentis nomen publicaret, & divulgaret in sensu proprio jam explicato.

*Quaestio 347. Quid dicitur, si manifestatio nominis Electoris alicujus vel Electorum fiat ab uno vel pluribus, vel etiam omnibus Electoribus?*

1. Respondeo: manifestationem talem, siue fiat ante (dicente aliquo vel aliquibus, se velle illum determinate eligere) siue post electionem (dicente eorum aliquo, se elegisse illum v. g. Titium) modo fiat extra electionem, & non fiat ab ullo electorum ut scrutatore, siue ex vi notitiae habitae per electionem seu scrutinium, non irritare electionem. Garc. p. 5. c. 4. n. 196. nixus declarationi S. Congregationis ad finem hujus quaest. citandae. Barb. ad c. 6. sess. 25. Trid. n. 14. Cast. de elect. c. 5. n. 26. Castrop. p. 2. tr. 13. d. 3. n. 9. Pass. n. 35. ratio, quae utrumque probatur, haec est; quod Trident. per verba ista: *Concilium districte praecipit omnes supradictos eligi per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur, &c.* per se & determinate non prohibeat manifestationem & publicationem nominum eligentium separatim, aut separatam ab electione (qualis est, quae fit ab ipsis electoribus pure quae talibus ante vel post electionem) sed solum intrinsecam ipsi electioni dum fit, aut connexam illi factae per vota secreta; nam imprimis praecipiendo eligi per vota secreta, tantum id vult, ut Electores, dum actu & formaliter sunt electores, siue dum actu dant suffra-

gium suum, in eo dando servent secretum, seu illud dent secreto. Bassus v. *electio*. n. 6. Pass. n. 37. Jam vero Electores antecederent dicendo palam, etiam cum promissione, & juramento, se determinate electuros Titium, actu per hoc non eligunt, & possunt adhuc in ipsa electione seu scrutinio talem non eligere. Bass. & Pass. d. cit. Quinimo argumento *cum in genesi, de elect.* minime obstante hoc Trident. praepro, liciti sunt, & laudabiliter instituantur, etiam collegialiter, tractatus (quamvis forte attentio sine Concilii Trident. apud Regulares ii melius omittuntur, tanquam minus convenientes) antecederent electionem, in quibus tractetur de meritis eligendorum, certaue persona eligenda, quia dignior, ita etiam, ut Electores non tantum dicant, se velle talem eligere, sed id ipsum quoque vislicitis circa pacta, minas, & alia hujusmodi cum charitate, & absque iniuria persuadere aliis nitantur. Deum praepro illud nunquam publicandi nomina eligentium respicit solos scrutatores, eosque, qui auctoritate publicae assistunt scrutinio seu electioni, cujus notitiam habent; Electores enim alii aliorum nomina vel nescientes factae nescientes ea publicare nequeunt; neque etiam suas; cum in praedictum electionis, & electi de proprio facto validum testimonium ferre nequeant: Neque quod Elector proprium suum votum publicet post electionem, est contra illius libertatem, quae est finis hujus praepro, liciti a Trident. Quinimo cum licitum sit in variis casibus se opponere electioni, & personae electae, v. g. dum alii scienter eligunt indignum, vel etiam contra aliorum oppositionem petere, & procurare etiam per scripturas, ut a se electus confirmetur, in iis certe verum non erit propalare votum a se datum tali. Pass. n. 39. & seq. Porro in genere loquendo, dum publicatio talis fit etiam a quocunque post confirmatam iam electionem, nunquam eam irritabit; cum electionis valor pendere nequeat a futuro eventu casuali. Suar. to. 4. de relig. tr. 8. l. 2. c. 5. n. 1. Pass. n. 40. unde

2. Respondeo secundò, istiusmodi publicationem, etsi forte absque eo, quod per eam non tollatur secretum ipsius electionis per se mala sit & illicita, ut constare videtur ex istis verbis S. Congreg. quae citat Garc. l. supra cit. ante vel post scrutinium Electoribus nullo modo licet, cui votum dederint, publicare: non tamen ita esse per se malam aut prohibitam per Trident. ut ex necessitate vel iusta causa fieri non possit licita. De quo vide Pass. n. 43.

*Quaestio 348. Num ubi scrutinium fit per secretas, & sic fieri est de forma Electionis, etiam sit de forma electionis, eas comburere ante vel post publicationem scrutini?*

Respondeo: Praescindendo a statuto speciali (qualiter tanquam de forma Electionis statutum esse in Ordine Pradicorum, ut facta collatione numeri ad numerum, & eorum, qui nominati sunt, nominibus redactis in scriptum, scheda coram capitulo ante publicationem Scrutinii comburantur, testatur Pass. cit. c. 17. num. 46.) negative, Concilium siquidem id unum vetat, ne nomina eligentium publicentur, quo stante, quidquid fiat de schedis, siue comburantur in praesentia Capituli (licet hic modus sit facilior, & secreto electionis convenientior, ac ita etiam fiat in electione summi Pontificis) siue projiciantur, & sepeliantur, siue quocunque alio modo custodiantur, ut non videantur, substantia hinc nihil interesse. Pass. n. 48. con-

tra Cast. c. 4. n. 62. nixum quodam oraculo vivæ vocis Pii V. de quo, ut ait Pass. non satis constat.

*Quæstio 349. Num necesse sit ante inchoationem scrutini Scrutatores astringi juramento, vel præcepto obedientiæ à Præside Electionis de munere fideliter exequendo?*

**R**espondeo: non esse id de substantia electionis. Abb. in c. in causis. h. t. n. 2. cum communi. Neque de præcepto juris communis. Pass. c. 18. n. 2. contra Biax. p. 3. c. 24. Sigism. dub. 21. n. 2.

*Quæstio 350. Quisnam debeat esse locus, in quo Scrutatores vota eligentium excipiunt?*

**1.** Respondeo primò: debet esse publicus, hoc est, in conspectu omnium Electorum, ita ut hi omnes à longè videri possint, ne fraus aliqua committatur in scrutinio. Pass. c. 18. n. 3.

**2.** Respondeo secundo: debet esse separatus à loco Electorum, ut hi nè que Electores cum Scrutatoribus, neque Scrutatores inter se loquentes, dum scrutinium est auriculare, audire, neque ubi scrutinium fit per schedas, has apertas, aut etiam vota eligentium à scrutatoribus in scriptum redacta videre & legere possint. Pass. ibid. Biax. p. 3. c. 25. n. 2.

*Quæstio 351. Quid in c. quia propter intelligatur per rō singulatum vota exquirant?*

**R**espondeo: quòd Electores accedere non debent ad scrutinium turmatim, aut terni vel bini, sed seorsim & separatim singuli. Abb. in c. c. n. 15. Sylv. v. electio. n. 7. Lavor. c. 19. num. 76. Estque hoc de substantia scrutini auricularis: cum alias electio & scrutinium non esset secretum. Donat. p. 3. r. 1. q. 17. n. 13. Secus ubi scrutinium fit per schedas complicatas Pass. n. 4.

*Quæstio 352. Quid importent verba illa dicti cap. diligenter inquirant?*

**1.** Respondeo primò: in scrutinio per schedas necesse non est, ut quicquam loquantur scrutatores, sed solum attendant, ne Electores deponant in urnam plures schedas, vel aliquam extrahant, vel dent notatam speciali aliquo caractere, aut simile quid faciant in præjudicium electionis. Pass. c. 18. n. 55.

**2.** Respondeo secundò: in scrutinio auriculari quoque non requiritur, ut scrutatores proprio ore teneantur inquirere vota eligentium, sed sufficit Electores accedentes ipsos sponte sua votum exprimere. Neque etiam facienda est vis in verbo illo exquirant, tum quia substantia talis inquisitionis subsistit in manifestatione voti recepta à scrutatoribus; tum quia scrutatores sufficienter loquuntur, & interrogant ipso facto, quo sedent deputati ad officium audiendi & conscribendi vota eligentium. Pass. n. 56. contra Barb. ad c. quia propter. n. 20. Sigism. dub. 21. n. 4.

**3.** Respondeo tertio: neque est de substantia, aut etiam de præcepto, ut scrutatores inquirant de zelo & meritis nominatorum, aut quo affectu, quā conscientia eligens talem nominet. Pass. num. 57. contra AA. cit. & alios. Quamvis aliunde quandòque ex præcepto charitatis vel justitiæ teneantur docere, vel corrigere eligentes, si fortè in votando errarent, vel facere vellent aliquid in præjudicium electionis.

**4.** Respondeo quartò: multò minùs requiri, ut Scrutatores adjurent eligentes, ut nominent, quem coram Deo judicant meliorem. Pass. n. 58. vel etiam, ut Electores de hoc jurent in manibus Scutatorum. Pass. n. 59. & seq. quem vide.

*Quæstio 353. Num Electoribus licitum sit consensum suum internum seu votum explicare per sortes?*

**R**espondeo primò: licet per se & ex natura rei illicitum non sit, præsertim in casu necessitatis, ubi humana prudentia deficit, v. g. ubi sunt duo vel tres, qui capitulo omnibus examinatis videntur maximè & omnino à qualiter digni Prælaturâ, sine alicujus injuria implorare Dei indicium per sortes, earumque eventum ab eo (secus si hic expectetur merè à fortuna vel aliunde) expectare. D. August. de doct. Christiana. c. 28. & Ep. 12. ad Honoratum. D. Th. 2. 2. q. 95. n. 8. & ex eo Cajet. ibid. Suar. rō. n. de relig. r. 3. l. 2. c. 12. n. 8. Sanch. in sum. l. 2. c. 38. n. 7. idque de facto apud regulares aliquos in electionibus quibusdam ex speciali indulto praticetur, ut videre est apud Pass. c. 18. n. 6. Jure tamen positivo, ut constat ex cap. fin. de sortileg. de facto illicita est quæcunque electio Ecclesiastica, five ad Prælaturas, five ad beneficia, officia, ministeria Ecclesiastica, quæ fit per sortes, ita etiam, ut illicitum sit hac ratione eligere ipsos compromissarios. D. Th. loc. cit. Suar. l. c. cit. n. 5. Sanch. n. 71. Abb. Felin. in c. capitulum de rescript. Tusc. l. E. concl. 79. Sigism. dub. 26. n. 1. Pass. n. 7. citans quamplures alios: qui etiam n. 9. citans pro se Felin. in c. capitulum. n. 21. Host. Jo. And. Franc. & alios in c. unic. de eo, qui mittitur in possessionem, tenet, extra negotium Electionis quòque illicitam esse, & non valere diremptionem litis beneficiariæ, aut quæ est circa res alias spirituales inter clericos, etiam factam de auctoritate Superioris (in quo casu id licere tenent Suar. loc. cit. n. 12. & Sanch. n. 79.) etsi hac accedente, de cæterò removeatur simonia, quæ aliàs committitur ineundo quodcumque pactum circa beneficia; vel etiam dum is conferre potest beneficium, impediretur, ne alter litigantium ingrederetur aliàs beneficium sine titulo, ut aliàs contingere posset, dum fors eum tangeret, qui non haberet à parte rei verum titulum. His tamen non obstantibus licitum est per sortes facere electiones Ecclesiasticas, servatis aliàs servandis, non solum, ubi id expressè concessum est à Pontifice (uti id vi constitutionis Leonis X. quæ incipit: in suprema: praticari in regnis Legionis, Castellæ, Navarræ, ut nimirum, ubi votorum latorum ab Examinatoribus, & ut rectè addit Castrop. p. 3. r. 13. d. 5. p. 3. n. 10. approbante idem Pass. n. 10. etiam qualitatim omnimoda est paritas, sorte decernatur, cuius sit beneficium, testatur Garc. l. 5. c. 4. n. 208.) verum etiam, ubi id consuetudine inductum est, quâ dictum jus positivum abrogari potest, non solum in electionibus ad officia Ecclesiastica non habentia jurisdictionem, ut vult Sigism. d. 26. n. 5. Sed & universaliter. Pass. c. n. 10.

*Quæstio 354. An de cæterò electiones factæ per sortes sint quoque ipso jure nullæ?*

**R**espondeo affirmativè de iis electionibus, in quibus servanda est forma c. quia propter: item de iis, quæ fiunt servatâ formâ Scrutini juxta decretum Trident. debent namque in iis singuli Electorum votum suum dare secretò pro una perso-